

tu, & animo inducendi novum ritum, est solum peccatum veniale, quia non videtur materia tam gravis, sicut si omitteretur simpliciter, & absolute purificatio. Quartus loc. cit. vers. Respondeo in Tambur. de Sacrific. lib. 4. cap. 9. num. 4. La Croix loc. cit. num. 423. & alii. Immo nullum esset peccatum, si celebrans esset abstinens vinum abhorrens, & solum illud modicum consecratum bibens; Sic Doctores citati, & alii. In secunda aquam purificatione, & digitorum ablutioe uti sola aqua, vel solo vino, probabiliter nequidem peccatum veniale est, quia rubrica non videtur præceptiva circa purificationem, & ablutioem cum vino, & aqua quamvis enim præcipitur purificatio, & ablutio, non tamen præcipitur illius modus. Sic Doctores citati, & alii contra alios probabiliter tenentes esse peccatum veniale.

25. Addere in sacrificio missæ aliquid valde notabile ultra ea, quæ in rubricis præscribuntur, ex genere suo est peccatum mortale, & quidem gravius, quam aliquid valde notabile omittere, quia id expressius prohibetur in Bulla Sancti Pii V. incip. Quo primum in principio missalis impressa, & in Conc. Trid. sess. 22. in decret. de observand. & vitand. in celebratione missæ. Tum quia culpa commissionis ex genere suo gravior est, quam culpa omissionis, quia in commissione plus concipitur de voluntario, quam in omissione, & additio est magis exposita periculo erroris, & superstitionis, quam omisso.

26. Addere aliquid, quo mutetur sensus formæ consecrationis, est grave sacrilegium, & tunc non concipitur sacramentum, ut si dicatur: Hoc est Corpus meum fantasticum, seu æreum; Talis enim additio falsum continet, & sensum destruit; Communis; Si vero addatur aliquid non destruens significationem formæ, quod tamen sit contra ritum Ecclesiæ, tunc conficitur sacramentum, sed Sacerdos graviter peccat, ut si dicatur: Hoc est Corpus meum formatum de virgine; Licet enim per hanc formam conficiatur adhuc Sacramentum, cum sit solum mutatio accidentalitatis, & perseveret essentia veræ formæ; tamen Sacerdos peccat mortaliter, quia in re tam gravi, & sacrosancta addere vel verbum vel ritum præter Ecclesiæ consuetudinem est summa temeritas, & abusus intolerabilis. Communis.

28. Addere aliquid animo, & intentione inducendi novum ritum in sacrificio missæ, est peccatum mortale, hoc enim sub gravi prohibetur a S. Pio V. in cit. const. incip. Quo primum: & a Concilio Tridentino cit. sess. 22. in decret. de observ. & vitand. in celebratione missæ.

29. Addere aliquid etiam sine animo, & intentione mutandi ritum, si additio sit in notabili quantitate & circa ea, quæ publice recitantur, est peccatum mortale. Communis. Si additio sit in notabili quantitate, & solum circa ea, quæ secreto recitantur, adhuc probabilius est gravis culpa; quia sic Sacerdos sacrum ministerium secretis precibus omnino ab illo distinctis interrumpet, & quamvis scandalum non ingereret, se exponeret periculo errandi, cum notabilis additio multum distrahat. Sic communis Doctores.

31. Si vero additio fiat in modica quantitate, & verba, seu gesta addita sint secundum se pia, honesta, & salutaria, ut si in elevatione Hostiæ Sacerdos dicat: Adoro te Jesu Christe, & hujusmodi, & in depositione Calicis ejus pedem deosculatur, & hujusmodi, tunc seculso animo inducendi novum ritum, nullum est pec-

catum cum sit parvitas materiæ, & modica privata, pia, & salutaria devotio. Sic Doctores magis communiter.

32. Addere in missa unam collectam, seu orationem ultra præscriptas secundum Pasqualig. quest. 215. La Croix loc. cit. num. 419. & alios, nullum est peccatum; Excusat enim propria devotio, vel alia quævis rationabilis causa; contra Gobat tom. 1. tract. 3. num. 748. ubi dicit, id faciendum sine peculiari causa damnari peccati venialis.

33. Addere in missa Gloria in excelsis, aut Credo, cum omittendum sit, est solum peccatum veniale; Nisi tamen hoc fiat cum magna deformitate, & scandalo, ut si addatur in missa de Requiem. Aversa g. 11. sect. 13. §. Sexto. La Croix loc. cit. num. 429. & alii.

34. Addere sub longo cantu ad Gloria in excelsis, aut Credo, aliquam pianam orationem, aut etiam recitare parvas horas memoria retentas, nullum est peccatum. Gobat loc. cit. num. 753. Cajetanus in summa, verb. in Festo prohibita: num. 6. La Croix loc. cit. num. 430. Tannerus, & alii contra Tamburin. & alios probabilius volentes esse peccatum veniale.

35. Mutare ritum missæ in rubricis designatur, & in festo duplici, seu infra Octavas privilegias recitare missam votivam, seu de Requiem, si hoc fiat sine ulla rationabili causa, & ex mera propria voluntate, semper est peccatum mortale quidem, si hoc fiat cum contempu, & scandalo. Communis. Nec enim locorum Ordinarii tam Seculares, quam Regulares possunt propria auctoritate, quovis prætextu, mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano, in rubricis Breviarii in altiore ritum. Sic expresse decrevit Sacra Rituum Congregatio de mandato Urbani VIII. ut patet ex decreto ad literam dato sub verb. Officium Divinum, art. 3. num. 88.

37. Mutare propria auctoritate, & voluntate præscriptas preces in alias, verb. grat. unam epistolam in aliam, unum evangelium in aliud, & hujusmodi, si hoc fiat cum magna deformitate, & scandalo, uti esset in missa Nativitatis, Paschatis, seu Pentecostes recitare epistolam, & evangelium missæ defunctorum, est grave peccatum; si autem consimilis mutatio fiat cum parva deformitate, & sine scandalo, poterit aliquando esse solum peccatum veniale; Communis.

38. Mutare imperfecte aliquas actiones, verb. grat. breviores facere cruces, non perfectas genuflexiones, non rectas inclinationes, & hujusmodi, seu flexu scandalo, & contempu, est ad summum veniale peccatum, Communis.

39. Invertere partes ejusdem orationis, verb. grat. recitare unam orationem ante aliam, unam prophetiam seu epistolam ante aliam, & hujusmodi, est solum peccatum veniale. Invertere autem voluntarie partes diversæ rationis, seu dissimiles, ut legere evangelium ante epistolam, & hujusmodi, est peccatum mortale, quia hic intervenit magna deformitas, contempus, & scandalum; Sic Doctores passim.

40. Alia ad rem, vide verb. Minister Sacramentorum, verb. Missa, verb. Officium Divinum, verb. Resolutiones Sacr. Congreg. Tom. X.

RUMOR. Vide verb. Fama num. 12. 33.

# SABBATUM.

## SUMMARIUM.

- Sabbatum est ultimus hebdomadæ dies.
- Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significat hebdomadam.
- Sabbatum in Testamento veteri erat dies festus designatus divino cultui.
- In novo autem Testamento fuit abrogatus dies sabbati, & pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominica.
- Dies Dominica fuit semper celebris ex tempore Apostolorum.
- Unde modo non est cessandum sabbato à labore, sed dies Dominico, & aliter facientes excommunicantur.
- Dies Dominica fuit pro die sabbati institutus variis de causis, & mysteriis, quæ assignantur.
- Quidquid sit de aliis, certum est principale motivum, & mysterium esse gloriosam Resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi, intuitu cuius SS. Apostoli ceperunt celebrare Pascha die Dominico.
- Sabbato olim, & feria 6. jejunabatur, quia in utroque die mesi fuerunt Apostoli.
- Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam sepulcræ Domini.
- Sabbato magno, id est, sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest Episcopus.
- Sabbato sancto campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi Regulari, ante pulsationem in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice sub pena ducatorum centum.
- Tam in Ecclesiis Regularibus, quam secularibus.
- Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope, & extra muros existentibus, & etiam in Ecclesiis Confratrum.
- Etiam si adis Ecclesia Collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem.
- Regulares ratione hujusmodi pulsationis in sabbato sancto possunt conveniri coram loci Ordinario.
- Nisi constructo in contrarium esset legitima, vel Ecclesiæ multum distarent.
- Sabbato præsertim prohibuitur est Christianis interire Hebræis accedendo eis ignem, & lumina, præparando comestibilia, & hujusmodi.
- Sabbato sancto, sicuti & feria quinta in Cena Domini non potest ullo modo, & à quocumque dici mira privata.
- Subneuntur Supplementa Auctoris, ad num. 30.

SABBATUM est ultimus hebdomadæ dies significans diem illum septimum, quo Deus Creator completa sex diebus Mundi creatione quievit; Gen. 2. num. 1. ibi: Et requievit die septimo ab universo opere, quod pararat.

Sabbati nomen non solum indicat septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significat hebdomadam, ut clare colligitur ex pluribus evangelicis textibus, & signanter ex Luca 18. num. 22. ubi Phariseus jactantiam, & vanam gloriam præferens dicebat: Jejunio bis in sabbato, non quod bis jejunaret in uno solo eodem die Sabbati, sed quia, ut explicat Sacri Interpres, pro sabbato intelligebat totam hebdomadam, uti communiter nomine sabbati totam integram hebdomadam intelligebant Hebræi, quia sua pro devotione, & voluntaria poenitentia bis in hebdomada nempe die Lunæ, & die Jovis jejunare solebant, & sic in praxi habebat Phariseus, unde dicebat: Jejunio bis in sabbato, id est, bis in hebdomada. Idipsum clare demonstrant verba Sanctorum Evangelistarum Marci, Lucæ, & Joannis narrantium magnum pietatis opus illarum

sanctarum mulierum, quæ emptis pretiosis aromatibus die Resurrectionis Dominicæ valde mane iverunt ad monumentum, ut ungerent Sacratissimum Corpus Jesu, Marci 16. num. 2. ibi: Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole; Luca 24. ibi: Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum portantes, quæ paraverant aromata; Joan. 20. n. 1. ibi: Una autem sabbati Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, quæ verba dictorum Sanctorum Evangelistarum non denotant diem Sabbati septimi hebdomadæ dici, sed intelligunt, & designant primum hebdomadæ diem, qui erat Dominica, in qua resurrexerat Dominus noster Jesus Christus: Dies enim Sabbati jam plene transierat, ut expresse habetur Marci 16. num. 1. ibi: Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. Et statim sequitur, Et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. Hinc clarum stat, quod nomen Sabbati pro tunc non indicabat solum ultimum, seu septimum hebdomadæ diem, sed insuper totam significabat hebdomadam, seu quamlibet hebdomadæ diem.

Sabbatum in Testamento veteri erat dies festus designatus divino cultui, ut patet ex Exodi 16. num. 13. ibid. cap. 20. num. 8. 10. & 11. Ibidem cap. 31. num. 13. 14. 15. & 16. & Levitici cap. 16. num. 21. ibidem cap. 19. num. 3. & 30. ibidem cap. 23. num. 3. 11. 15. 24. 32. 38. 39. ibidem cap. 26. num. 2. In novo autem Testamento fuit abrogatus dies Sabbati, & pro eo ab Ecclesia institutus dies Dominica. Concil. Laodicense cap. 29. cap. Pervenit 11. dist. 3. de consecr. cap. Omnes dies Dominicos 1. de Feriis. Dies enim Dominicæ fuit semper celebris ex tempore Apostolorum. Concil. Colonien. II. part. 9. cap. 9. ibi: Diligenter quoque populus admonendus est, cur ferie, & potissimum dies Dominicus, qui à temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, instituta essent; Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, & communicandum, breviter, ad vacandum Deo soli, ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus transigaret. Hoc est enim sanctificare Sabbatum.

Unde modo non est cessandum Sabbato à labore, sed die Dominico, & aliter facientes excommunicantur. Conc. Laodicens. cap. 29. ibi: Quod non oportet Christianos judaizare, & otiosi in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint à Christo; & concordat cap. Pervenit 11. dist. 3. de consecr. ex Gregor. I. lib. 11. Epist. 3.

Nec sine rationibus, & mysteriis fuit ab Ecclesia pro die Sabbati institutus dies Dominica; pro quædam enim rationibus, & mysteriis à Deo operatis in tali die, dies Dominicus est institutus dies festus de præcepto, ut notavit Eminentissimus Cardinalis Ursinus Archiepiscopus Beneventanus, deinde Summus Pontifex sub nomine Benedicti XIII. in suis dactylis Lectionibus supra Exod. Lect. 29. num. 7. pag. 321. ut ex ipso Clericatus in suis Spiciis tom. 1. verb. Dominica. n. 81. Primum igitur mysterium est, quia ipso die Dominico incepit Mundi creatio. Secundum est, quia arca Noe ipsa die se stitit supra montes Armeniæ. Tertium est, quia ipsa die Hebræi à Pharaone fugientes Mare rubrum siccis pedibus transierunt. Quartum, quia ipsa die manna è celo cecidit in deserto pro Hebræorum vic-



- sacra dicens, seu sacra faciens, vel sacra datus, aut sacra docens.
- 11 Sacerdos non potest iterum fieri laicus per ablotionem Characteris. Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. Canon. 4.
  - 12 Sacerdos malus non perdit Ordinem, id est, caracterem; Quantumvis enim peccet graviter, remanet sacerdos cum eadem sua sacerdotali potestate; Concil. Constantiens. contra. artic. 14. Wiclef. & contra ultim. Joann. Gus. Concil. Tridentin. sess. 14. cap. 6. Canon. 10.
  - 13 Sacerdos malus adhuc valide conficit sacramenta. Malicia enim, & immunditia sacerdotum non vitiat sacramenta, cap. Nonne Sodomitarum 27. cap. Dominus declaravit 87. cap. Christus 88. & cap. Non nocet 89. caus. 1. quest. 1. cum similibus.
  - 14 Sacerdotum officia in Sacramentorum consecratione, non merita considerat Deus; cap. Cum scriptura 83. caus. 1. quest. 1. Unde sacramenta sunt bona, etiam si Minister sine mali, cap. Si iustus 20. cap. Ex Catholica 31. cap. Sic autem 32. & cap. Nee foris 33. caus. 1.
  - 15 1. Boni enim, & mali Sacerdotes sequi Corpus Christi faciunt, cap. Intra Catholicam 771. & cap. Omnia Sacramenta 78. caus. 1. quest. 1. cum similibus.
  - 16 Sacerdotes tamen, quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur; textu expresso in cap. Ipsi Sacerdotes 91. caus. 1. quest. 1.
  - 17 Unde serio attendere debent Sacerdotes quod de ipsis habetur in cap. Vasa 45. dist. 1. de consecratione, ibi: Quondam sacerdotes aurei lignis calicibus utebantur, nunc e contrario lignis sacerdotibus aureis utuntur calicibus. (Vid. verb. Calix.)
  - 18 Hinc Sacerdotes, si sint in mortali, debent confiteri antequam celebrent. Concil. Moguntin. IV. cap. 36. Conc. Trident. sess. 13. cap. 7. Quod si desit Confessarius, & urgeat necessitas celebrandi, debent elicere actum Contritionis, & postea quamprimum confiteri, textu expresso in ipso Concilio Tridentino cit. sess. 13. cap. 7.
  - 19 Sacerdos pollutionem patiens in nocte, debet in mane abstinere a sacrificando, si causata sit a torpi cogitatione ante somnum, vel abingluvie, vel si habuit animi concussione, nisi adsit necessitas celebrandi, textu expresso in cap. Testamentum 1. dist. 6.
  - 20 Sacerdos dicens missam, stolam supra utrumque humerum teneri debet; Sic etiam quando missam non dicit, & communicat. Concil. Bracrensis. II. cap. 4. & cap. Ecclesiastica 9. dist. 34.
  - 21 Sacerdos a semetipso sumit Eucharistiam, si celebrat. Concil. Tridentin. sess. 13. cap. 8. Canon. 20.
  - 22 Item si non celebret, potest extra missam non tantum pro Viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa sibi ministrare Communionem, si non adsit alius sacerdos, & scandalum absit. Ita Suarez, Vasquez, Fagnan. Silvest. Homobon. Boss. Bonacin. Vivaldi. Diana, Dicastill. Bosco, & alii citati, & secuti a La Croix lib. 6. part. 1. num. 481. contra Cajetan. Armill. Filliuc. Avers. Et ratio est, quia nulla lex id prohibet Sacerdoti; immo Concilium Nicenum I. id concedit Diacono, uti notat Dicastill. dist. 11. num. 95. (Vide verb. Eucharistia, pag. 331).
  - 23 Sacerdos non consecratur, sub una tantum specie communicat. Conc. Coloniens. II. p. 7. cap. 15.
  - 24 Si Sacerdos in missa post consecratam majorem hostiam ante consecrationem calicis advertat fuisse appositam minores hostias, seu particulas consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores formam consecrationis repetere: Et ratio est, quia sic poneret duo sacrificia; minores enim hostie non habent se per modum unius hostie, vel unius materie totalis consecrande, quia prior consecratio fuisse completa in majore hostia, & minores hostie, seu particule terminant unam totalem consecrationem, neque una harum consecrationum de se esset referibilis ad alteram. Si autem ante consecrationem majoris hostie aliquid sciverit de appositis mi-

- 25 nistris hostis, seu particulis, & post dubitet, an intentionem sufficienter ad eas extendere, si dum in corporali ponerentur eas consecrare intenderit, censetur consecratae ratione intentionis virtualis, absque eo quod repetat formam consecrationis, ut tenent Doctores communiter cum Dicastill. dist. 21. num. 216. Castrop. quest. 6. num. 3. La Croix lib. 8. p. 1. num. 243. Si vero minores hostie, seu particule advertente Sacerdote, fuerint a Sacrista positae in altari extra corporale, & Sacerdos dubitet, an habuerit sufficientem intentionem eas consecrandi? debent ipse sub conditione consecrari in alia missa, nec potest repeti forma consecrationis in eadem missa propter rationem supra adductam. Sic citati Doctores, & alii.
- 26 Sacerdos obligatur ad celebrandam missam pro commodo Monialium, vel Confratrum, non potest aliud stipendium recipere applicando alteri eadem missam; Sacra Congregatio Concilii in Alexandrina 18. Martii 1719. apud Ursayam in miscellaneo sacro & profano, litera S. num. 7.
- 27 Sacerdos faciens ab altero celebrari missam cum minori elemosyna, ac sic illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suae obligationi; & tenetur ad restitutionem. Sacra Congreg. Concil. in Anconi. 5. Jul. 1644. lib. 24. Decretal. fol. 196. apud Ursayam loc. cit. num. 8. & tom. 4. part. 2. num. 64. ubi subdit, hanc Sacra Congregat. resolutionem approbatam fuisse ab Alexandro VII. insuper incurrit suspensionem Papae reservatam. Benedictus XIV. const. inc. Quanta cura: Vide verb. Elemosyna, num. 64. & magis verb. Missa, art. 2. num. 19.
- 28 Sacerdos, qui fuit data elemosyna pro missa, non potest illam alteri Sacerdoti celebrandam dare, etiamsi secundus Sacerdos id sciat, & contentus sit. Sac. Congreg. Concil. in Romana elemosyna 23. Aug. 1654. apud Ursayam loc. cit. num. 10. & tom. 4. part. 2. dist. 2. num. 62. Benedictus XIV. loc. cit. sub pena dictae suspensionis. Vide loc. cit. in priori num.
- 29 Sacerdos Episcopo inferior non potest in Missa adhibere Ministrum assistentem, folia missalis vertentem, calicem tegentem & detegentem, &c. Sacra Congreg. Rit. in Fulginatens. 26. Julii 1750. apud Ursayam loc. cit. num. 6.
- 30 Sacerdotes inservire non debent laicis in vilibus officijs, & praecipue mulieribus. Sacra Congreg. Episc. in Epist. Encyclicis. 16. Martii 1697. apud Ursayam loc. cit. num. 14.
- 31 Sacerdotes inservientes alieni ecclesiae sunt praesertim in funeribus. Rota in Compostellana Praesentiationum 14. Junii 1617. §. Agnoscebant, coram Crispo, apud Ursayam loc. cit. num. 16.
- 32 Sacerdos constitutus in aetate annorum 30. est capax legati relictum pro studiis legalibus, Sacra Congreg. Concil. in Romana, seu Micoterens. 14. Feb. 1609. apud Ursayam loc. cit. num. 3.
- 33 Sacerdos non potest obtinere legerum Juris vicarius sine Apostolica dispensatione. Sacra Congreg. Concil. in Neapolitana 10. Martii 1644. apud Ursayam loc. cit. num. 9.
- 34 Sacerdos ordinatus a Papa praefertur sacerdoti ordinato ab Episcopo. Fagnan, in cap. 1. num. 14. de majoris & obediens.
- 35 Sacerdoti quamvis unico testi plena fides adhibenda est. Rota in Romana Officii Novariensis 22. Junii 1722. §. Quoad autem, coram Ratio, apud Ursayam in 2. miscellaneo sacro, & profano lit. S. num. 2. Sacerdos sine causa ad multum tempus non celebrans, immo etiam inquam celebrans, nequit rationabiliter praesumi male vivere Sacerdos, perinde quasi Ordinis Sacerdotialis exercitium contemneret; adeoque admittendus ab Episcopis, tamquam legitimis testis, in foro episcopali. Maraviglia l. 339. prudentis episcopalis (verb. Testis.)
- 36 Simplex sacerdos non approbatur non potest absolvere neque a peccatis venialibus, aut mortalibus aliis confessis. Vide verb. Confessarius art. 1. num. 11. & 12.

- 37 Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, & mortalibus aliis confessis, sed insuper a quibusvis casibus, & censuris etiam reservatis. Vide ibid. num. 13.
- 38 Pro tali casu ecclesia dat jurisdictionem omnibus Sacerdotibus etiam degradatis, excommunicatis vitandis, Irregularibus, Apatatis, seu Hareticis. Vide ibidem num. 14. Fagnan. tamen cum multis aliis lib. 4. Decretal. cap. 11. Non est vobis de Sponsalibus, num. 1. & sequens. defendit, excommunicatum vitandum non absolvere, neque in articulo mortis, & ad id adducit declarationem Sacrae Congregationis Concilii. Unde si ipsa esset authentica, non esset ab ea recedendum. Vide ipsum ibi; ubi multa habet ad rem. Vide etiam omnino, quae recte adducit Albizi apud Tersagam in Instructione Confessoriarum, pag. 20. & 21.
- 39 Talis ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis. Vide ibid. num. 15.
- 40 Simplex Sacerdos non potest in tali articulo absolvere praesente Sacerdote approbato. Vide ibid. n. 16. & 17.
- 41 Sacerdotes superiores sunt secularibus. S. Clemens Epist. 1. cap. 4. lib. 2. Constit. Apostol. cap. 33.
- 42 Immo Sacerdotes sunt praestantiores Regibus; lib. 1. Constit. Apost. cap. 34. ibi: Hos existimate vestros Praesides, vos putate Reges, his quasi Regibus vestigalia offerte, eos enim eorumque domesticos bonis vestris alere debetis; Ut enim Samuel in primo de Regibus libro de Rege alendo sanxis populo, & Moyses de sacerdotibus in Levitico: sic nobis de Episcopis sancimus. Siquidem ille militaria tantum administrabat, bello, & pace ad custodiam corporis susceptis, hic vero Sacerdotium ad honorem Dei administrat, ut pericula ab anima, & corpore propulet: Quanto ergo anima corpore praestantior est, tanto est sacerdotium regno excellentius, ligat enim, aut solvit supplicio, vel remissione dignos.
- 43 Et quod Imperium non praesit Sacerdoti, sed subsit, & ei obedire teneatur, habetur expresse in cap. Solita 6. de majoritat. & obediens. Ibi: "Potuisses autem prerogativam Sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum est non a quolibet, sed a Deo, non Regi, sed Sacerdoti, non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus viderelicet, qui erant in Anatho; Et ecce constitui te super gentes, & regna, ut evellas, & dissipas, & adifices, & plantes. & infra. Praeterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento Caeli; Luminare majus, ut praeseret diei, & luminare minus, ut praeseret nocti; Utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur Caeli, hoc est universalis ecclesiae, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quae sunt Pontificalis Auctoritas, & Regalis Potestas; sed illa, quae praesit diebus, id est, spiritualibus, major est; quae vero carnalibus, minor; ut quanta est inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoscatur." (Verb. Concilium, & Papa.)
- 44 Sacerdotes enim sunt patres, & Magistri Regum, & Principum, textu expresso in cap. Quis dubitet 9. dist. 96. ubi ex Gregorio VII. lib. 8. Epist. 21. habentur praecisa haec verba: "Quis dubitet Sacerdotes Christi Regum, & Principum, omniumque fidelium Patres, & Magistros censeat? Nonne miserabilis insaniae esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum potestati suae subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in Caelis se ligari posse, & solvi?" & concordat cap. Bene quidem 1. cap. Satis evidenter 7. cap. In scripturis 8. cap. Duo sunt 9. cap. Si Imperator 11. cap. Numquam 12. & cap. Constantinus 13. dist. 96. cum similibus.
- 45 Sacerdotalis potestas cum regia semper rexerunt generis humanum, & si ista duo non conveniunt, male regitur; Conc. Coloniens. II. p. 2. cap. Duo sunt 9. dist. 96. cum similibus.

- 46 Sacerdotes exercere nequeunt Procuratoris officium, Marr. V. const. 3. inc. In Apostolica: (Verb. Pa o chus, in add. his. vers. Propter:)
- 47 Sacerdos abjurans de levi non est impeditus exercere omnes Ordines & Sacramenta ministrare, ac Fidei-illum etiam secularium confessiones audire, Secus in abjurante de vehementi; S. C. Generalis Inquisitionis 6. Martii 1596.
- 48 Sacerdos curam animarum gerens, si diebus Dominicis, & aliis solemnitatibus non celebret, prius est monendus, postea procedendum per subtractionem fructuum, demum excommunicandus, si non est legitime impeditus, & tunc per alium celebrare debet. Sacra Cong. Conc. die 31. Augusti 1690.
- 49 Sacerdos deliquens in sua diocesi, si in alio loco reperiat, ad suum Ordinarium remitti debet. Sac. Cong. Conc. apud Sellium in selectis Canonibus, cap. 1. num. 21. & apud Barb. in summa Apostolicarum Decisionum verb. Sacerdos, num. 6.
- 50 Sacerdotes exteri seculares celebrantes absque licentia Ordinarii in ecclesiis Regularium incurunt poenas inflictas in synodo diocesana. Sac. Cong. Conc. in Neapolitana, 17. Aug. 1540.
- 51 Et Sacristae, seu Praefecti ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem praedictam nisi exhibita licentia Ordinarii. S. Congreg. Concil. in eadem Neapolitana 17. Aug. 1630.
- 52 Sacerdotes deferre non debent manutergium super calicem, eundo, vel redeundo ab altari; Sacra Congreg. Rit. 1. Septemb. 1703. Quod est etiam contra Rubricas generales Missalis; ex Comment. Gavanti in easdem Rubricas, part. 1. tit. 20.
- 53 In Missa, solemnium, dum canitur Credo, non debent pulsari organa, nec Sacerdos celebrans potest prosequi Missam. S. Rit. Congregat. 17. Decemb. 1695. Vide verb. Resolutiones Sacrae Congreg. in Indice 1. Merati num. 446. & 510.
- 54 Sacerdos prius ordinatus preferendus est Presbytero postea ordinato, licet capellaniam possessionem prius acceperit, qui postea ordinatus est. Sacra Congregat. Ritus in Novariens. 16. Junii 1605, in Lyciens. 19. Januar. 1613.
- 55 Sacerdos assistens, licet non sit prima dignitas, thurificandus est ante Archidiaconum assistentem Episcopo a dextris, licet Archidiaconus sit prima dignitas; Sac. Congreg. Rit. in Verellens. 23. Junii 1607.
- 56 Sacerdos simplex sine licentia Sedis Apostolicae non potest benedicerenovam Ecclesiam, vel oratorium, nec reconciliare Ecclesiam pollutam. Sacra Congreg. Ritus in Placentina 19. Maii 1607. in responsione ad dubium 10.
- 57 Sacerdos celebrans solemniter coram Episcopo, debet cum suis Ministris expectare benedictionem Episcopi, antequam descendat. Sacra Congreg. Ritus in Alexandr. 19. Maii 1608. in responsione ad 7. dub. (Vide remissiones, verb. Consecrare, cum verb. Beneficere.)
- 58 Sacerdos, Diaconus, & Subdiaconus solemniter celebrantes possunt, & debent sedere in banco, dum cantatur Gloria, & Credo, etiamsi sint Beneficiati, vel Capellani, prout sedent Canonici, non obstante qualibet consuetudine. Sacra Congreg. Rit. in Perusina 15. Januarii 1611.
- 59 Sacerdotes, & Clericos adscriptos ecclesiis non potest Episcopus ob necessitatem ecclesiae cogere, nec cedant ab ea causa studui; immo tenentur illi disimporias, seu commendatitias literas dare. Sacra Congreg. Concil. die 11. Maii 1617.
- 60 Sacerdotes nullum officium, aut beneficium ecclesiasticum obtinentes cogi non possunt ab Episcopo ad publicas processiones accedere. Sacra Congreg. Concil. in Moranen. 7. Februarii 1612.
- 61 Sacerdotes tenentur scire decreta Sedis Apostolicae. S. Ritus Papa Epist. 1. cap. ult. Item tenentur scire canonones. Caesitinus I. Epist. 3. cap. Nullis 4. dist. 38. cum similibus.
- 62 Sacerdotes tenentur literis vacare, & fugere igno-

rantiam. Conc. Arelatens. IV. Canon. 3. cap. Ignorantia i. distr. 38. sacerdos enim ignorans non excusatur; cap. Si in laicis 3. distr. 36.

64 Sacerdotes non possunt uti vestibus pomposis, variatis, &c. vel ab Ordine alienis. Concil. Nicæn. II. cap. 16. cap. Omnis jaſtantia i. caus. 21. quest. 1. cum similibus.

65 Sacerdotes extra domum non debent comparere sine veste Sacerdotali; cap. Sine ornatu 4. caus. 21. q. 4. cum similibus.

66 Sacerdos contrahens matrimonium de facto incurrit excommunicationem; Facta poenitentia ab Episcopo dispensatur, ut ministret; sed matrimonium est nullum, textu expresso in cap. Sane Sacerdotes 4. de Clericis conjugatis: Quibus autem poenis puniatur Sacerdos, seu Clericus in Sacris constitutus, vel Regularis castitate solemniter professus matrimonium contrahens, notat Pignatelli. tom. 8. cons. 63. num. 32. quod ex Concilio Neocæsariensi relat. in cap. Presbyter 9. distr. 28. ab Ordine deponi debeat, quod Glossa explicat de depositione officii, quemadmodum & exiit ecclesiasticis beneficiis, cap. Decernimus 2. distr. 28. ibi: *Decernimus, ut hi, qui in Ordine Subdiaconatus, ut supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, Officio, atque ecclesiastico beneficio careant.* Vide Pignatelli. loc. cit. cum adductis.

68 Sacerdotum defunctorum manibus aptari non debet calix. Clericat. de Sacrific. missæ decis. 50. num. 49. Bassi tract. de sodalitat. quest. 5. num. 14. Concil. Provincial. Beneventan. 1693. pag. 61. cap. 18. cap. Nemo 36. de consecrat. dist. 1. Ursaya tom. 7. part. 2. discept. 31. cap. 23. de funerib. cum Rituali Roman. Caremon. Episcop. & Act. Eccles. Mediolanens. ibi citatis. Vide ibi in fine, ubi à Sac. Congreg. approbat Synodus Fulginatens. ubi inter alia fuerat id statutum.

69 Sacerdotes seculares nequeunt prætere candelam majorem illa que datur Regularibus associantibus funus. Sic expresse defendit Ursaya tom. 1. part. 2. discept. 15. num. 13. ubi ad id plura adducit decreta, & Doctores, & decrevit in fortioribus terminis de parocho respectu Superioris Regularis. Sacra Congregat. Concil. in *Novariens. 15. Martii 1704.* apud Monacell. tom. 2. tit. 13. formul. 1. sub num. 92. apud Thesaurum Resolutionum. Sacra Congregat. Concil. tom. 9. fol. 21. in dict. *Novariens. funerum, & jurisdictionis, in respons. ad 3.* Vid. verb. *Parochus, art. 3. circa finem.*

70 Episcopus statuere potest, ne Sacerdotes recipiant quid minus elemosina taxata. Sacra Congregat. Concil. in *S. Severini Elemosina missarum 16. Julii 1697.* & in *Alexanens. 26. Jan. 1743.*

71 Institutionem beneficii sacerdotalis deberi Presbytero, posthabito Clerico, respondit Sacra Congregat. Concilii in *Montis Regalis Capellanie 19. Novembris 1740.*

72 Cum Sacerdos non ex reverentia, sed ex negligentia celebrare omittit, tunc (quantum in se est) privatur Sanctissimam Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, Justos subsidio, & gratia, in Purgatorio existentes refrigerio, Ecclesiam Christi spirituali beneficio, seipsum medicina, & remedio contra quotidiana peccata, & infirmitates. S. Bonavent. in *Opuscul. de Preparatione ad missam, cap. 5.* Bx Vener. Beda, & sequitur Amostaz. de causis pñis lib. 3. cap. 6. num. 45. Ursaya tom. 5. part. 1. discept. 4. num. 142. & alii passim.

73 Sacerdotes novi Testamenti non parentum nobilitate, sed pro vitæ suæ merito sunt eligendi, nec attendendum quos parentes habuerint, sed cujus meriti sint; S. Anselmus in *Epist. S. Pauli ad Hebræos cap. 7.* Nobilitas enim morum plus ornat, quam genitorum, arg. cap. Nos qui 3. distr. 40. cap. Recurrat 3. s. His ita, caus. 42. quest. 4. & cap. Venerabilis 37. de prebend. ubi expresse dicitur, non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratiam Deo faciunt & idoneum servitorem, in cuius Summario sic præcise habetur: Clerici ignobiles, & non eminentis scientia, propter hoc non debent à prebendis repellī, etiam in ecclesia, que

ales admittere non consuevit.

74 Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis eorum ruina, si peccant; S. Hieronym. lib. 16. in cap. 44. Ezech.

75 Si Sacerdos, qui est unctus, peccaverit, facit delinquere populum; cap. Magnæ 7. de voto, & Levitic. cap. 4.

76 Nullum majus præjudicium, quam à Sacerdotibus, tolerat Deus. S. Gregor. Homil. 17. in Evangelium.

77 Malus Sacerdos de Sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. S. Ambros. Homil. 43. in cap. 23. Matth. ibi.

78 Nulla re Deus magis offenditur, quam quod indigni, & peccatores sacerdoti dignitate præfulgeant. S. Joannes Chrysostom. homil. 41. in Math.

79 Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est: Vos autem recessis de via, & scandalizastis plurimos in lege, irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum; propter quod, & ego dedi vos contemtibiles, & humiles omnibus populis. Malach. 2. num. 7. 8. & 9.

80 Quis aliquando vidit Clericum cito poenitentiam agentem? S. Joan. Chrysost. homil. 40. in cap. 21. Matth. Laici delinquentes facile emendantur; Clerici si mali fuerint, inemendabiles sunt. Auſtor Imperf. homil. 43.

81 Nulla certe in mundo tam crudelis bestia, quam malus Sacerdos, nam corrigi non patitur. S. Eusebius Epist. ad Damas.

82 Separavi vos à ceteris, ut essetis mei; Levit. cap. 30. Ut integritas Sacerdotis demonstraretur, qui non aliquatenus, sed plane totum se Deo dicaverit. S. Theodor. quest. 3. in Levit.

83 Officiū quidem Sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. S. Gregorius homil. 17. in Evangelio.

84 Ad stipendia dumtaxat oculos habent; S. Isidor. Pelusiota lib. 1. Epist. 142. Non virtutum merita, sed subsidia vitæ p æsentis expiunt. S. Gregor. lib. 23. moral. cap. 17. Non ut meliores, sed ut ditiores fiant. Non ut sanctiores, sed ut honoratiores. S. Prosper. lib. 1. de vit. contemplat. cap. 21.

85 Dignitas Sacerdotalis prius moscatat à vobis, ut deinde servetur à vobis. S. Ambros. de dignitat. sacerdot. cap. 5.

86 Prætulit nos Deus Angelis, & Archangelis, prætulit Dominationibus. S. Bernard. serm. ad Paris. Sacerdotium ipsi quoque Angeli venerantur. S. Gregor. Nazianz. orat. 12. ad Levit.

87 Excusa me apud te Virgo gloriosa..... Sacerdotium ipse prætulit super te..... Potestas Sacerdotis superat potestatem Virginis gloriose. S. Bernard. Senens. tom. 1. serm. 20. art. 1. cap. 7.

88 Beata Virgo solum semel aperuit coelum, Sacerdos qualibet missa. Vincent. Ferrer. serm. 1. in festo Corporis Christi.

89 Vene veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis, incarnatus. S. August. lib. de dignitate eccles. Apol. 3. tract. de sacer.

90 Pater omniariam potestatem dedit Filio; ceterum video eandem ipsam potestatem à Deo Filio Sacerdotibus esse concessam. S. Joann. Chrysostom. homil. 5.

91 Deos etiam ipse Deus appellat. S. Gregor. lib. 4. 91 Epist. 79.

92 Nihil omnino prodest nomen sanctum habere sine moribus, quia vita à professione discordans abrogat illustri tituli honorem per indignam actum vilitatem. Salvan. de proci. lib. 3. ad fin.

93 Honor sublimis, & vita deformis. S. Ambros. lib. 6. dignit. sacer. Professio Deifica, & actio illicita. Idem ibid.

94 Ornamenta in luto, dignitas in indigno. Salvan. 94 ad Eccles. Cathol.

95 Non ita corruptis moribus vivunt seculares, ut 95 Ec-

96 Ecclesiastici. S. Bernard. serm. in conversion. S. Pauli. Inique agunt ceteri contra Christum, crudeliorem tamen eam censet persecutionem, quam à propriis sustinet ministris. S. Bernard. ibid.

97 Tales Sacerdotes non sunt mei Sacerdotes, sed veri proditores, ipsi enim quasi Judas me vendunt, & produnt. S. Birgitta lib. 1. revelat. cap. 47.

98 Adam peccavit in terra, & veniam consequutus est: Lucifer in celo, & diabolus factus est: sic differunt peccata laicorum, & Clericorum. Hugo de S. Caro in illud Psalmi 118. num. 119. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ. Seculares vocantur peccatores terræ, ad differentiam Sacerdotum, qui debent vocari peccatores coeli, uti Angeli: Unde S. Birgitta lib. 1. revelat. cap. 47. Sacerdotes mali sunt in eodem peccato, quo cecidit Lucifer: Nunc etiam dico tibi iudicium eorum, & cui sunt similes.

99 Si peccas in Sacerdotio, peristi. S. Joan. Chrysost. homil. 41. in Math.

100 Sic enim Deus irascitur peccantibus Sacerdotibus, ut etiam sacratis locis suis, vasisque non parcat. 1. Reg. 4. S. Prosper. de prom. & præd. p. 2. cap. 24.

101 Ante omnia sacerdos castitate debet accingi. Sanct. Joann. Chrysost. homil. 41. in Levit.

102 Ut in his niveus pudicitia candor effloreat, qui sacris mysteriis familiaris appropinquat. S. Petrus Damian. Opusc. 18. contra Cler. interp. dissert. 1. cap. 1.

103 Sacerdos... Ne pollut sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ unctionis Dei super eum est. Levitic. 21. num. 12.

104 Sacerdotes polluerunt sanctuarium meum, Ezechiel 22. num. 26. id est, ut explicat ibi Hugo Cardin. per vitæ immunditiam.

105 Audent Agni immaculati sacras contingere carnes, & intingere in Sanguine Salvatoris carnes nefarias, quibus paulo ante (proh dolor!) carnes meretricis attractaverunt. S. Bernardus in declam.

106 Pudicitia sacerdotalis non solum ab opere se immundo abstineat, sed etiam à jactu oculi, & cogitationis errore mens Christi corpus confectura sit libera. S. Hieronym. in cap. 2. Epist. ad Titum.

107 Quis adeo impius erit, qui lutosi manibus Sacratissimum Sacramentum tractare præsumat? S. August. serm. 144. de tempor.

108 Polluimus Corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare. S. Hieron. in cap. 1. Malachia.

109 Cum in os immundum Sanctissimam carnem ponit, eam quasi in lutum projicit. Petrus Blesensis serm. 38.

110 Quantum flagitium in spurcissimam tui corporis cloacam Sacramentum Christi Sanguinem profundere! S. Thomas de Villanova Concion. 3. de Corpor. Christi.

111 Gravius peccant indigno offerentes Christum regnantem in caelis, quam qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. S. Aug. cit. à Mol. tract. 2. cap. 17.

112 Auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam. S. Greg. homil. 27. in Evang.

113 Si Sacerdotium corruptum fuerit, omnis fides marcida est. S. Joann. Chrysost. homil. 38. in Math.

114 Populum videmus nugacem, eo quod tales habeant Sacerdotes. S. Ambros. de dignitat. sacer. cap. 6.

115 Causæ sunt ruinæ populi Sacerdotes mali. S. Greg. lib. 4. epist. 64.

116 Tantum inter Sacerdotem, & quem libet probum interesse debet, quantum inter coelum, & terram discriminis est. S. Isid. Pelusiota lib. 1. epist. 107.

117 Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote sacrilegium. S. Petrus Chrys. serm. 26.

118 Provide, ne lingua, que vocat de celo Filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur. S. Aug. serm. 37. ad Fratres de erem.

119 Inter seculares nugæ sunt, in ore vero Sacerdotis blasphemæ. S. Bernard. lib. 2. de considerat.

120 Labia Sacerdotis custodient scientiam; Discamus Sacerdotem doctum esse debere. S. Hieron. in cap. 2. Malachia.

121 Manus Sacerdotum modo inunctæ sunt pice cupiditatis ad retinendum, quæ deberent esse inunctæ

unctione charitatis ad largiendam. Hugo Card. in illud Psalm. 2. *Dextera eorum repleta est numeribus.*

122 Si pro se unusquisque in die iudicii vix poterit rationem reddere, quid de Sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? S. Aug. lib. 50. homil. 7.

123 Pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorant non erudiant, aut peccant non corrigant. Sanctus Isidorus lib. 3. sententiar.

124 Sacerdotes, pensemus negotium nostrum, pensemus pondus, quod suscipimus, faciamus nobiscum quotidie rationes, quas cum Iudice nostro habebimus. S. Greg. homil. 17. in Evang.

125 Vere magna confusio sacerdotum, & omnium Clericorum, quando laici inveniuntur fideiiores, & justiores. S. Joann. Chrysost. homil. 40. oper. imperf. aut quis alius Auctor.

126 Quomodo non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam esse æquales magna confusio est? Idem ibidem.

127 Erubescant sacerdotes, si sacratori vitæ inveniuntur laici, qui vitæ fluctibus sunt immersi. S. Gregor. part. 2. Pastor ad mon. 29. & Petrus Blesensis serm. 12.

128 In die Iudicii sacerdos spoliabitur sacerdotii dignitate, & erit inter infideles. S. Joannes Chrysost. Homil. 40. in cap. 21. Matth. juxta illud Ezechiel 23. denudabunt te vestimentis tuis, tollent vasa gloriæ tuæ, & dimittent te nudum ignominia plenum.

129 Sacerdotes mali præ omnibus diabolis profundius submergentur in infernum. S. Birgitta lib. 4. revelat. cap. 33.

130 Quo major est auctoritas, eo majus est eorum, qui peccant, supplicium. S. Joan. Chrys. in Psalm. 6.

131 Ingrediuntur electi Sacerdotum manibus expiati caelestem patriam; at Sacerdotes ipsi per vitam reprobam in Inferni supplicia festinant. S. Greg. hom. 17. in Evang.

132 Non temere dico, sed ut affectus sum, & sentio. Non arbitror inter Sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant. S. Joan. Chrysost. hom. 3. in cap. 1. AG. Apostol.

133 Clerici, & Religiosi quando Christo adherent, optimi sunt, & optimum, & multum fructum faciunt; Quando autem à Christo separati sunt, nutrimentum sunt ignis peccati in presenti, & in futuro ignis infernalis. Hugo Cardinal. in cap. 15. Evang. S. Joan.

134 Miror an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus. S. Joan. Chrysost. homil. 34. in Epist. ad Hebræos.

135 Sacerdos si vitam suam dispoſuerit, tuam autem non diligenter curaverit, cum impiis in gehennam detrudetur. S. Joan. Chrysost. homil. 85. in Joan.

136 Quidam Religiosus, qui noluit acceptare Episcopatum, neque ad preces sui superioris, apprensus post mortem cuidam suo amico, & ab ipso interrogatus, an quidam mali passus fuisset ob talem resistantiam factam superiori ad nolendum episcopatum, respondit: *Minime. Immo si episcopatum recepissem, essem æternaliter damnatus.* Sic refert Carthus. de vita, & Reg. Episcop. cap. 42. Et de alio, qui ad consilium sui patris recusavit sibi oblatum episcopatum, refert S. Hieronymus in Regul. Monac. cap. 5. & idem Carthus. loc. cit. quod post mortem ipsi suo patruo apparens, eique gratias ferens de optimo consilio, dixit: *Nunc essem de numero damnatorum, si fuisset de numero Episcoporum.*

137 Turpe est ignorare artem, quam profitemur, & intolerabilis ignorantia in iis, qui præsunt. S. Leo relatus in cap. Si in laicis 3. distr. 38.

138 Verecundum est ex aliorum manibus querere, quod apud se inveniri debet; cap. Cum in cunctis 7. de elect. & Gloss. ibid. citans multos alios canones. Unde non sufficit, quod Prævatus habeat apud

- se viros doctos, nisi & ipse sit doctus. Deh! caveant super hoc Prælati.
- 139 \*Sacerdotes privantur facultate excipiendi confessiones complicum in peccato turpi. Benedict. XIV. tom. 1. constit. 20. incip. Sacramentum Pœnitentiæ, §. 4. Vide dicta ad verb. Confessarius, & verb. Complex.
- 140 Sacerdos etiam ad confessiones non approbatus, præferendus est Confessario complici in peccato turpi pro excipienda confessione ipsius complicis in articulo mortis constitutæ. Idem const. 120. inc. Apostolici muneris. §. 2.
- 141 Sacerdos simplex benedictionem super populum impertiri nequit, præterquam in fine missæ, nisi forte ipsi demandetur jure delegato. Idem tom. 2. constitut. 48. incip. Exemplis. Præsente Episcopo Diocesano sacerdos in fine missæ debet prius ad eum se convertere, eique caput inclinare, veluti facultatem populo benedicens postulans; quod à Sacerdote prætermittitur si Episcopus missæ intersit, sed extra suam diocesim existat, prout desumitur ex Rubricis missalis, de benedictione in fine Missæ, & Evangelio S. Joannis. Idem ibid.
- 142 Sacerdos abutens sacrificio missæ ad sortilegia, vel in sacramentali confessione sollicitans ad turpia, præter alias pœnas, incurrit perpetuam inhabilitatem ad missæ celebrationem, ex decreto sanctæ Universalis Inquisitionis de mandato Benedict. XIV edito die 5. Augusti 1745. ut in ejus Bullario tom. 2. in appendic. n. 8. pag. 46.
- 143 Sacerdoti simpliciter per Pontificem ex suprema auctoritate delegari possunt ea, quæ ad mysticum Christi Corpus pertinent; Quod tamen Diaconis, qui non habent perficere Corpus Domini verum, jure, ac merito denegatur. Benedict. XIV. in Appendice ad tom. 4. sui Bullarii const. inc. Ex tuis, §. 9.
- 144 Sacerdotes tam in Latina, quam in Græca Ecclesia, iuxta veterem disciplinam, cum Episcopo celebrabant. Benedict. XIV. const. Allatæ sunt, §. 38.
- 145 Sacerdotes exteri, tum & maxime peregrini non sunt admittendi ad missas celebrandas, & sacramenta administranda, sine literis commendatitiis suorum Ordinariorum, ut innovatis antiquis canonicis statutis Concilium Trident. sess. 22. decret. de observ. & evitand. Ec. & sess. 23. cap. 16. de Reform. & post ipsum D. Carolus Borromæus in Aff. Eccles. Mediol. part. 1. Concil. Provincial. 1. pag. 9. Concil. Provincial. 2. pag. 65. tit. 2. decret. 1. & Conc. Provincial. 3. pag. 96.
- 146 Quinimo fas est Episcopo prohibere, ne Regulares in eorum ecclesiis sacerdotes exteros celebrare permittant divina officia, nisi prius ab ipso Episcopo, visis literis commendatitiis, admissi fuerint, ut decimum referunt Venetrig. in Prat. tit. 1. adnot. 24. §. unic. num. 5. & adnot. 48. §. unic. num. 125. Passerini. de Stat. Homin. tit. 3. quest. 189. art. 10. inspe. 10. num. 991. Nicol. lucubrat. canonic. lib. 3. tit. 31. n. 15. Frass. de Jurepatron. Reg. tom. 2. cap. 73. num. 36.
- 147 Idque verum adeo est, ut Sacerdotes exteri celebrantes in ecclesiis Regularium, non visis prius literis commendatitiis ab Episcopo, tum etiam ipsi Superiores ecclesiarum Regular. incurrant in pœnas in synodo diocesana inflictas; Firmos in Rubr. de Cleric. Peregrin. num. 9. Romaguer. ad Synodal. Gerund. lib. 3. tit. 4. cap. unic. num. 5.
- 148 Ceterum si Sacerdos aliquis exterius per longum tempus in loco aliquo celebraverit, ejusque mores jam sint noti, non est cogendus literas commendatitiis sui Ordinarii ostendere, ut altera Resolutione Sac. Congregationis Episcoporum & Regularium negotiis præpositæ, firmant Fermosin. in dict. Rubrica de Cleric. Peregrin. num. 11. Barbo. Jure ecclesiast. univers. lib. 1. cap. 11. num. 31. Romaguer. ad constitut. synodal. Gerund. lib. 1. tit. 4. cap. unic. num. 6. ubi num. 7. & sequent. tradit quas solemnitates requirant literæ commendatiæ Clericorum ultramarinorum.
- 149

Reliquum est ut discutiatur, an Episcopus prohibere valeat, ne Sacerdotes Regulares peregrini, celebrent in ecclesiis Regularium? Obtinuit autem hæc distinctio, ut prohibere nequeat, si Sacerdotes illi peregrini in loco illo habeant ecclesias sui Ordinis; possit vero prohibere, si ecclesias inibi sui Ordinis minime habeant; Ita definiat Sac. Congregationem de Propaganda Fide coram Sanctissimo habitam die 18. Juli 1626. refert Romaguer. ad constitut. Synodal. Gerund. lib. 1. tit. 4. cap. unic. num. 4. (Vide verb. Clericus.)

SACRAMENTALIA. Vide Peccatum à num. 47. ad num. 55.

SACRAMENTUM.  
ARTICULUS PRIMUS.

Quoad ea, quæ concernunt Sacramentorum naturam, institutionem, numerum, materiam, formam, Ministrum, & intentionem.

SUMMARIUM.

- 1 SACRAMENTI à Sacro derivati, variæ, sed præcipue tres sunt acceptiones, quæ assignantur.
- 2 Sacramentum prout in proposito accipitur, & definitur.
- 3 Sacramenta novæ legis fuerunt omnia à Christo Domino instituta, & ea nec plura, nec pauciora, quàm septem quæ assignantur.
- 4 Sacramenta novæ legis differunt à Sacramentis antiquæ Legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem; Nova vero eam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt.
- 5 Unde Sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt alie ceremonie, & alii ritus æterni.
- 6 Ea, quæ concernunt ad longum Sacramenta antiquæ legis, breviter gratia relinquantur videnda apud scholasticos.
- 7 Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se.
- 8 Quædam dicuntur, & sunt Sacramenta Mortuorum & quædam alia Sacramenta Vivorum, & que sint utraque.
- 9 Item quædam sunt Iterabilia, & non Characteristica, & quædam Initerabilia, & Characteristica, & que sint utraque.
- 10 Item quædam sunt Formata, & quædam Informia, que sint utraque.
- 11 Non potest dari sacramentum Pœnitentiæ validum quoad essentiam, & informe quoad effectum Gratia.
- 12 Item quædam sunt Permanentia, & quædam transeuntia, & que sint utraque.
- 13 Item quædam sunt omnibus necessaria, & quædam non necessaria omnibus, & que sint utraque.
- 14 Sacramenta novæ legis sunt necessaria ad salutem, vel in re, vel in voto, licet non omnia omnibus.
- 15 Sacramenta non sunt paria, sed unum alio dignius.
- 16 Sacramenta non sunt sola signa, seu nota christianitatis.
- 17 Sacramenta non sunt instituta propter solam fidem nutriendam.
- 18 Sacramenta tribus perficiuntur, scilicet rebus, verbis, & Ministro cum intentione.
- 19 Hinc ad essentiam cujuslibet sacramenti tria necessario requiruntur, scilicet materia, & forma, & intentio.

- 20 Materia in quolibet sacramento est res aliqua sensibilis applicata suscipienti per actionem externam Ministris.
- 21 Forma in quolibet sacramento sunt verba certa una cum applicatione materie, proferenda à Ministro, aut signum aliquod externum æquivalens, & faciens id, quod fieri debet.
- 22 Materia in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota & proxima, & que sit utraque.
- 23 Quenam sit materia remota, & proxima cujuslibet specialis sacramenti remissive.
- 24 Item forma in quolibet sacramento est duplex, scilicet remota, & proxima, & que sit utraque.
- 25 Ad valorem sacramentorum quenam requiratur similitudo inter eorum materiam & formam.
- 26 Consultissimum est, ut Ministris sacramentorum curent majorem, quàm possunt, facere similitudinem materie, & forme.
- 27 Materia, & forma sacramentorum fuerunt omnes à Christo institutæ, & determinatæ quoad substantiam: At non omnes, & singule uniformiter, & æqualiter in particulari, & in specie, ad num. 28.
- 29 Omnis mutatio substantialis facta in materia, vel forma sacramentorum irritat, & invalidat Sacramentum: Secus autem si sit solum mutatio accidentalis.
- 30 Mutatio materie, & forme quando censeatur substantialis vel accidentalis.
- 31 Quoad materiam, & formam propriam cujuslibet specialis sacramenti, eorumque mutationem substantialem, vel accidentalem, remissive.
- 32 Quomodo Ministris sacramentorum mali sint, Sacramenta non cessant esse bona.
- 33 Sacramenta valide fiunt etiam à malis ministris in peccato mortali existentibus.
- 34 Sacramenta ministrata à malis Ministris, iis nocent, non autem sumentibus.
- 35 Sacramenta non possunt ministrari ab omnibus christianis.
- 36 Sacramenta feri non possunt, nisi à Ministro habente intentionem faciendi, quod facit ecclesia.
- 37 Quoad plurima alia, quæ concernunt Ministrum Sacramentorum, remissive.
- 38 Quoad ea, quæ concernunt intentionem requisitam ad valide conficienda seu ministranda, vel recipienda Sacramenta, remissive.
- 39 Subneantur additiones, usque in finem.

SACRAMENTI à Sacro derivati variæ, sed præcipue tres sunt acceptiones. Primum igitur in Sacra Scriptura sumitur interdum pro sacro mysterio, seu pro re sacra abscondita, & arcana, ut Thobias cap. 12. numer. 7. ibi: Æternum Sacramentum Regis abscondere bonum est, Sapientiæ cap. 2. num. 22. ibi: Et nescierunt Sacramenta Dei. Item Sapientiæ cap. 6. n. 24. ibi: Et non abscondam à vobis Sacramenta Dei. Daniel. cap. 2. num. 18. ibi: Super Sacramento isto. Ibidem numer. 30. Sacramentum hoc revelatum est. Ibidem numer. 47. Quoniam ut potuisti aperire hoc sacramentum. Ad Ephes. cap. 1. num. 9. ibi: Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis sue. Item ad Ephes. cap. 3. num. 3. ibi: Quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum. Apocalypsi cap. 1. numer. 20. ibi: Sacramentum septem stellarum. Item Apocalypsi cap. 17. numer. 7. ibi: Ego dicam tibi Sacramentum mulieris. Secundò, sumitur, eo quod per illud sacrum quando pro Juramento, eo quod per illud sacrum Dei nomen invocetur; L. Sacramenta puberum, Cod. Si adערես venditionem, ibi: Sacramenta puberum sponte facta super contraditibus rerum suarum non retractandis inviolabiliter custodiantur, cap. Qui Sacramentum 11. caus. 22. quest. 4. ibi: "Qui sacramento se obligaverit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno à Communione Corporis, & Sanguinis Domini segregatus reatum

» suum eleemosynis, & quantis potuerit jejuniis, absolvat." Tertio, sumitur à Patribus, & Theologis, & magis ad propositum pro signo rei sacre, id est, pro eo, quod sacrat, & sanctificat: Et de sacramento sic sumpto impræsentiarum est sermo.  
Unde sacramentum, prout in proposito accipitur, est signum sensibile gratia Dei, vel effectum eius gratuitum ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. Sic Scotus in d. dist. 1. quest. 2. num. 9. Quæ definitio in re ipsa convenit cum illa, quæ colligitur ex Concilio Trident. sess. 13. cap. 3. quod nempe Sacramentum sit symbolum rei sacre & invisibilis gratia visibilis sanctificandæ vim habens, & cum illa Cathecismi ejusdem Concilii, scilicet: Sacramentum est res sensibus subjecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & justitiæ vim significandæ, tum efficiendæ vim habet; & cum illa tradita à Canisio in suo parvo Cathecismo, quam sequuntur alii Theologi: Sacramentum novæ legis est signum visibile invisibilis gratia ad hominem sanctificandum divinitus institutum.  
Sacramenta novæ Legis fuerunt omnia à Christo Domino instituta, & ea nec plura, nec pauciora, quàm septem, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium. Sic definitum fuit in Concilio Florentino in decreto Eugenii IV. pro instructione Armenorum, & in Concilio Trident. sess. 7. Canon. 1. ibi: "Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, aut pauciora, quàm septem, videlicet, Baptismus, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquid horum septem non esse vere, & proprie Sacramentum, anathema sit."  
Sacramenta novæ legis differunt à sacramentis antiquæ legis, quia antiqua figurabant gratiam dandam per Christi passionem: Nova verò eam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt. Concil. Florentin. sess. ult. in Decreto Eugenii IV. ibi: "Quæ multum à sacramentis differunt antiquæ legis: Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant: Hæc verò nostra & continent gratiam, & ipsam digne suscipientibus conferunt." Unde sacramenta novæ legis non differunt ab antiquis solum, quia sunt alie ceremonie, & alii ritus externi: Est definitum in Concilio Trident. sess. 7. Canon. 2. ibi: "Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis sacramenta à Sacramentis antiquæ legis non differre, nisi quia ceremonie sunt alie, & alii ritus externi, anathema sit." Vide tamen dicta sub verb. Circumcisio per rot. ubi multa ad rem.  
Ea autem, quæ concernunt, ad longum sacramenta antiquæ legis, breviter gratia relinquantur videnda apud Scholasticos.  
Sacramenta novæ legis varie differunt etiam inter se. Communis. Quædam enim dicuntur sacramenta mortuorum, & quædam alia sacramenta vivorum. Sacramenta mortuorum sunt illa, quæ per se conferunt primam gratiam justificantem, seu remissionem peccati mortalis actualis, vel originalis, & dicuntur sacramenta mortuorum, quia à Christo sunt per se, & primario instituta, ut homini ratione peccati mortalis spiritualiter mortuo gratia, rite ministrata restituant vitam spirituales gratia: Et hæc sacramenta sunt duo, nempe Baptismus & Pœnitentia. Baptismus quidem institutus in remissionem peccati originalis ac etiam actualium ante Baptismum commissorum. Pœnitentia autem instituta in remissionem peccatorum actualium post Baptismum commissorum. Sacramenta vivorum sunt illa, quæ per se conferunt tantum gratiam secundam, adeoque præsupponunt in suscipiente gratiam primam, seu statum gratia, & dicuntur sacramenta vivorum, quia à Christo sunt per se, & primario instituta, ut ministrarentur hominibus jam viventibus vita spirituali gratia, eosque nova gratia adaugeant; & hæc Sacramenta sunt: reliqua alia quin-